

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 3: De correctione Domini (16)

Idem (Gregorius):

Qui valentiores sunt et sani utile est eis infirmari et non peccare,  
ne per vigorem salutis illicitis cupiditatum et luxurie desideriis sordidentur.  
Duritia que mentem premit et non sentitur, utiliter ergo mutatur in carne,  
ut sentiatur atque intelligentia emendetur.  
Nam citius vulnera carnis sentiuntur quam anime,  
ideo per carnis flagella errantes cicius corriguntur.  
Hoc quippe indicant in pauli oculis squame infidelitatis,  
que dum mutate sunt per increpationem ab oculis carnis,  
confestim resoluta est duritia mentis.  
Pernitiosa est sanitas que ad inobedientiam hominem dicit,  
et salubris infirmitas, que per divinam correctionem mentem a duritia frangit.

Qui ualentiores sunt et sani, utile est illis infirmari et non peccare,  
ne, per uigorem salutis, inlicitis sordidentur cupiditatum et luxuriae desideriis.  
Duritia quae mentem premit, nec sentitur, utiliter mutatur in carne,  
ut sentiatur atque intellecta emendetur.  
Nam citius uulnera carnis sentiuntur quam animae;  
ideoque per carnis flagello errantes citius corriguntur.  
Hoc quippe indicant in Pauli oculis squamae infidelitatis,  
quae dum mutatae sunt per increpationem in oculis carnis,  
confestim resoluta est duritia mentis.  
Est perniciosa sanitas quae ad inobedientiam hominem dicit.  
Est et salubris infirmitas quae per diuinam correptionem mentem a duritia frangit.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.3.5-7 (CCSL 111, P. Cazier ed., pp.201-2,  
ll.19-31).